

Maturus fructus exterius ex viridi flavescit, vel etiam brunescit. Cortex exterior filamentosus est, ut in *Coco*, verum haud crassus, sed duplam tantum habens ovi Gallinae testae crassitatem. Hic morius detrahi potest: illo detracto apparet pauca caro crocei coloris, vix ullo manifesto sapore praedita, quae à Nigritis cum farina comeditur. Caro autem haec ambit nucem durissimam, instar *Coco* ovalem, ejusdem fere crassitiei, sed sine foraminibus. Hac fracta, apparet in cavo, per interstitium more Juglandium distincto, nucleus magnitudine Juglandis, albus, duriusculus, paulo siccior, neque tam suavis ut *Coco*. Colliguntur per totum annum, & nuclei tam ab indigenis quam advenis comeduntur, *Inaia-miri*, id est, *Cocos* parvae Indigenis dictae.


Oleum insuper optimum inde exprimitur, album & jucundi odoris, quod, quia refrigerat, defectum rosati saepe supplet: & cum recens est, in cibis: cum vero aetus, ad lucernas usurpatur. E fructus quoque cortice aliud non ignobile & magis flavum elicitur, sed minus refrigerans, quod tamen ad multa mala emollienda adhibetur.

E fastigio Arboris Gummi pellucidum, odoratum & pulcherrimum fluit, quod in locum Arabici nonnumquam venit. Postremo medulla coloris albicantis, & recentem Juglandem respiciens, in vertice ligni continetur, optimum alimentum si cum pane & sale comedatur.

CARNAIBA I.



CARNAIBA II.



Circa Diocesin *Parayba* è remotissimis nemoribus ad hortos ob elegantiam traductae Palmæ conspicuntur, quarum brachia five rami caudam Pavoniam æmulantur. Barbari *Caranaibam* & *Anathocariri*, Lusitani *Tamar* appellant, forte, quod fructus *Dactylis* similes ferat. Est autem arbor Palmæ dactyliferae altitudine, habens lignum rufum, durum, crassis nervis intus constans, nullius tamen usus: cortex exterior griseus & cartilagine à terra ad aliquod spacium squamatus, squamis ordine cochlearum positus; quæ primo